

mortem instantem præsensisse, adeo mutatus erat ab illo, qui prius fuerat! diutius in æde sacra perstare; oblectamenta omnia etiam permissa et innoxia, fugitare; modum ac modestiam singularem, si quid ageret ac loqueretur, tenere: bellicam gloriam, et nescio quas barbaræ militiæ phaleras, quibus victores ornant se ac circumspiciunt, respuere; cælestia et æterna præmia crebris sermonibus usurpare. Sic animam sibi destinatam Deus præparabat.

Et quoniam de Thaouenhoso mentionem feci, quem omnis regio, tanquam exemplar Christianæ integritatis suspicit, nonnulla subijciam, quæ viri virtutem eximiam declarant. Barbarum nihil habet præter originem. Ampla mens, excelsa, nihil humile, nihil homine probo et sapiente indignum [cogitans: vultus ipse modestiam, dignitatem, probitatem spirat.] Fama virtutis tanta ut ejus precibus commendare se cuncti non dubitent, et eorum ope multa se divinitus adeptos esse fateantur: ejus conspectu accendi pietatem suam, aiunt, et extinctum aut sopitum caritatis ardorem reviviscere. Gallis æque ac barbaris incitamento est ad bene vivendum et ad bene pugnandum. Acceptis in acie vulneribus honestis totus est cooperatus, ac si decem tales in reliquis Canadæ nationibus Mars Gallicus invenisset, jam pridem nullus Gallorum hostis, nullus Iroquæus foret. Insignis illa benignitas et mansuetudo, quam Christiana lex afflat, et qua vincit omnes, nihil de fortitudine bellatoris et